

## CAP. VI.

## DE ANIMA RATIONALI.

*An admitti possit anima Origo ex DEO, negatio forma & pluralitas illius in quovis Homine?*

**O** Suvaldus Crellius Medicus ἰδιογνώμων ita scripsit in *Prefatione Admitt.* pag. 33. Homo habet spiritum seu mentem à DEO. Quid enim est Spiritus hominis ab Altissimo inspiratus aliud, quam ipse Deus in nobis habitans: *Jacobus Bebmus in Psychologia quæst. secunda.* Quod DEUS inquit, in Ternario suo est numero, id Anima est in sua essentia, tanquam Ramus ex virtute arboris. Substantia ejus cœlestis creata est, ex cœlesti, divinâ essentiâ: at voluntas ejus est libera. Prælusit *Robertus Flud* alâs dictus de *Fludibus* qui animam appellavit ipsam Creatoris radii scintillam, seu lucis increatæ portionem. Secundo moderni Philosophi & Theologi, qui se *Cartesianos* profitentur, negant animam esse formam hominis. Ita enim *Vittichius Theol. Pacif. §. 146.* Nulla talis est forma: anima quidem est pars hominis, sed forma hominis est Humanitas. Cum enim vulgo formæ illæ informantes, concipiuntur tanquam permeantes & intimè penetrantes Materiam, idque de anima non possit statui, negavi talem hominis formam esse animam, imò absolutè negavi tales illas dari formas informantes, quod si vero per formam intelligatur rei essentia, quo sensu solet illa vox non rarò accipi, dixi hominis formam consistere in humanitate, sed ut ad eam quoque pertineat corpus, unde istam essentiam non potui commodiori vocabulo, quam humanitatis exprimere. Tertio inveniuntur, qui pro pluralitate animarum stant tanquam pro Navibus Ajax: dividuntur autem illi in explicatione hujus sententiæ & in diversa abeunt. *Quidam* enim volunt tres ordine animas sibi invicem succedere, & primo vegetativam in fœtu præsentem esse, dein illa pereunte accedere sensitivam, denique hac excedente animam rationalem supervenire, & regere, nec nisi in morte ab homine separari, ita *Alphonsus Caranza, Hannibal Roselius, Bernhardus Morisanus,* & ex Medicis *Fernelius Licetus* & alij. *Quidam* negant illam successionem animarum, statuunt tamen hominem tribus animabus realiter distinctis esse